



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Bulla 5. Vrbani VIII. Confirmatio constitutionis Pij V. de hæreditatibus,
Terris, & Locis S. R. E. non infeudandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

attributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad xiiij. Constitutionem, habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

Quæ Sacra Congregationis responsa ad se relata fel. record. Gregor. XV. & S. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbant.

A. Card. Cætanus.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Sec.

Subsequuntur alia duo dubia ab eadem Congregatione declarata, & à Sanctiss. D. N. approbata.

AN Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à diocesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri, & puniri possit?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Possè. Quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. ad se relata approbauit.

AN liceat Episcopo in vim Constitutionis sanct. mem. Greg. XV. de exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænuntiata?

Declaratio disti dub.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit, Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, cumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declarauerit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque in electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænuntiata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

Cof. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

VRBANI VIII. BVLLA V.

Confirmatio Constitutionis Pij V. de Ciuitatibus, Terris, & Locis S. R. E. non infeudandis.

Et Declarationis INNOCENTII IX. desuper edita.

VRBANVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad futuram
rei memoriam.

Sacro sancti Apostolatus ministerij cura, quam altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei humilitatem nostram nullo licet meritum suffragio gerere voluit, iugiter nos admonet, ut in iis præcipuam Apostolicæ seruitutis sollicitudinem adhibeamus, per quæ temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditionis, conseruationi consulitur: atque ideo Nos, quæ à Rothom, Delbene de Immun. Eccl. Pars II.

manis Pontificibus prædecessoribus nostris hanc ob causam prouide sancita fuerunt, ea non solum ipsi inuolant curabimus custodire, sed etiam ab aliis perpetuò obseruari debere statuimus. Dudum siquidem à felicis recordationis Pio Papa Quinto prædecessore nostro literæ huius tenoris emanarunt. Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis vniuersalis Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, ut Ciuitates, Terræ, Oppida, & loca Nobis, & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediâtè & immediâtè subiecta perpetuò in iure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conferuerunt. Sanè licet nonnulli Romani Pontifices prædecessores Nostri, per eorum Constitutiones rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & iam factas reuocauerint, & annullauerint: nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi, & dominandi cupidi, sub variis prætextibus, coloribus, & causis sæpè etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus, & insinuationibus conati sint ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedi præfata fore, si aliquæ Ciuitates, Terræ, Oppida, Caltra, Arces, & loca ad ius, & proprietatem eiusdem Sedis pertinentia in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur; vel etiam ex eo, quod aliàs in feudum data, aut quouis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tanquam ad Sedem prædictam deuoluta, vel deuoluenda, posse, & debere de iure iterum infeudari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse: ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonij, sed existimationis recepisse dignoscitur. Hinc est, quod nos considerantes omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem & promptam deuotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valde vtilem, & salutarem fuisse, & esse, ac volentes non solum alienationes huiusmodi, quas tempore nostro omninò exulare intendimus, de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus, ante Domini Nostri Iesu Christi in examine diei magni aduentus Tribunal villicationis nostræ rationem reddituros nos esse: sed ut omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur quantum cum Deo possumus, peramplius prouidere, Constitutionibus prædecessorum nostrorum, huiusmodi etiam inhærendo, aliasque innovando, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hæc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & vnanimi assensu) qui etiam iurauerunt præsentì Constitutioni non contrauenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à iuramento huiusmodi non petere, hac nostra perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus Ciuitates, & loca prædicta, etiam hæcenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad nos, & Sedem præfatam quomodolibet deuoluta, & pro tempore deuoluenda, absque alia vltiori declaratione, & illorum possessionis apprehensione eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad ius, proprietatem, & dominium pristinum ac possessionem rediisse censei, perinde ac si

per quadraginta annos, & ultra Ciuitates & loca præfata à nobis, & Sede præfata immediatè possessa, & nunquam in feudum, aut alium titulum concessa fuissent. Statuimusque, & decernimus, quod omnes, & singulæ, tam Communitates, & Vniuersitates, quàm Cives, & Incolæ Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcumque personæ, tam Ecclesiasticæ, quàm seculares, cuiusvis dignitatis, & ordinis, etiam Episcopalis, vel maioris existentes, ac S. R. E. Cardinales, tam publicè in Consiliis Ciuitatum, & locorum præfatorum, quàm priuatim alibi in quibuscumque locis, etiam in Ciuitatibus, & Terrarum earumdem Gubernatores, aut nostri, & Sedis Apostolicæ Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Ciuitatibus, & locis ad præfata Sedem spectantibus, & pertinentibus, etiam deuolutis, etiam in feudum cõmuniter, & pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut aliàs quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem præfata, aut sub prætextu necessitatis, vel euidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis à nobis, & Sede præfata quibuscumque personis cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis, & successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut quavis alia temporalis, vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam ad Sedem Apostolicam beneplacitum, Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad Nos, & successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi, quàm Oratores munus huiusmodi recipientes, aut alij quicunque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios insinuant, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui nequeant: Et insuper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ præfate rebelles, etiam in primo capite læsæ Maiestatis, & proditores Ciuitatum, & locorum præfatorum, ac bona eorum Filco, & Cameræ nostræ Apostolicæ ipso iure deuoluta, & incorporata sint, & esse censentur, omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis Ecclesiasticis eo ipso priuari, & ad illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, neque ad Ciuitates, & loca præfata vllò vniquam tempore remitti possint: Et si aliquando eos re-integrati contingerit, nihilominus infames remaneant, illisque honorum, & dignitatum portæ perpetuò claudantur. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Ciuitates, Terras, Oppida, Castra, Arces, & loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut aliàs à dicta Sede, etiam ex causa onerosa obtinere, habere, & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoueri non possint, nisi restituti sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes, & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibuscumque personis etiam Cardinalibus per eosdem prædecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie reuocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuiuscumque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti, illa, etiam pro munitione, & tuitione, nisi ex causa necessariæ conseruationis locorum eorundem facta fuerint, post publicationem præsentium facere omnino interdiciamus, ac prohibemus, & si secus à quoquam factum, attentatumve fuerit, melioramenta quæcumque per eos contra tenorem præsentium facta locis ipsi cedent, & Cameram ad illorum satisfactionem minimè teneri,

& obligatam esse volumus, & declaramus. Decernentes præsentibus literas sub quibuscumque reuocationibus, cassationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque clausulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties ille emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & de nouo concessas esse, & censi debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignorantè contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ciuitatum, & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Sic igitur deuotionis & fidei constantia Ciuitatum, & locorum præfatorum erga nos, & successores nostros, & eandem Romanam Ecclesiam perseueret, ut merito integritatis virtus maiora beneficia ab eadem Sede consequi mereatur. Volumus autem, quod sicut omnes, & singuli Cardinales præsentibus, Constitutionem huiusmodi, quantum in eis erit, obseruare, illique non contrauenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, aut absolutionem à iuramento præfato non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt, & iurauerunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio in habitatione eorum, & à Romana Curia, ut quodocumque ad eandem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione pilei promitti, & iurari debeat, ac promissionem, & iuramentum huiusmodi in formula iuramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adiungi, & inseri debere, ac contrafacientibus penam perjurij & perpetuæ infamiae iuris & facti eo ipso incurrere decernimus. Præterea quod ipsi Cardinales occurrente Apostolica Sedis vacatione in Conclau, quando de obseruandis literis Iulij Papæ Secundi, prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis Constitutionibus iuramentum præstare solent, etiam de inuiolabiliter obseruanda præfata Constitutione nostra, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post eius assumptionem, hoc ipsum promittere, ac iurare, & deinde post coronationem suam promissionem, & iuramentum huiusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud à Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differretur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita Ordinum apud cum omni cum instantia, & instantissime pro præsentium obseruatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent. Idque ut omnino efficiat diligentissime curare studeant, statuimus, & ordinamus. Quodque præsentibus literis in libellum redigantur, & post prædictas Iulij literas, quæ in dicto Conclau legi solent, inter alias constitutiones nostras adiungantur, & etiam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ, cum aliis Extrauagantibus nostris describantur, ac ad valuas Basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentibus ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, reuocationis, decreti, interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attente præsumpserit, indignatio

VRBANI VIII. BVLLA.

Constitutio super præservatione Iurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum à quibuscumque præiudicialibus.

VRBANVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in sacra Beati Petri sede à Domino constitutus, non valens curam suæ pastoralis sollicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet mundi parte exercere, Legatos etiam de Latere, ac Nuncios, aliosque ministros Apostolicos ad diuersas Prouincias, & Regna, prout cognoscit in Domino expedire, conuenit destinare, ut vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, & commissis sibi populis iustitiæ & gratiæ incrementa ministrent, iuraque Sedis Apostolicæ, iurisdictionem, immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam tueantur, ac de grauioribus Summum Pontificem reddant certiorum, remediaque ac mandata opportuna Apostolica expectent, & exequantur. Cum autem ut accepimus, à nonnullis prætendantur quosdam ex Legatis, siue natis, siue aliis etiam de Latere, S. R. E. Cardinalibus, Nunciisque ac aliis ministris Apostolicis quouis nomine nuncupatis, ac etiam ex Rectoribus, seu Gubernatoribus Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum ditionis temporalis S. Rom. Ecclesiæ, per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per Nos missis, cæterisque Officialibus Cameræ Apostol. & Romanæ Curie, etiam S. R. E. Cardinalibus, etiam Vicecancellariis, & Camerariis ac feudatariis quantumlibet qualificatis, & indiuidua mentione dignis, ac etiam Baronibus, aliisque iurisdictionem quomodolibet exercentibus aliqua eidem Sedi, aut iurisdictioni, vel immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, Ecclesiisque & personis Ecclesiasticis præiudicialia præter, aut contra facultates sibi concessas nedum fecisse, declarasse, concessisse, ac decreuisse, seu alias quomodolibet disposuisse, sed etiam prædicta, & quæcumque alias eis præiudicialia à quibuscumque aliis siue Ecclesiasticis, siue Laicis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem Apostolicam non habentibus commissa, & facta, oneraque super Ecclesiis, ac earum bonis, & iuribus, earumque fructibus absque sufficienti facultate Apostolica imposita, transgressionisque & excessus contra sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum vniuersalium dispositionem contra Sedem Apostolicam, iurisdictionem, immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam, seu Ecclesias vel personas Ecclesiasticas, earumque bona, & iura quæcumque quomodolibet commissos & perpetratos tolerasse, & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem præiudicialibus consensisse, immò ex ipsorum Legatorum, Nunciorum, & ministrorum Apostolicorum, ac etiam respectiue Gubernatorum Prouinciarum, Ciuitatum, & locorum ditionis temporalis eiusdem Sedis Apostolicæ, & quorumcumque aliorum ipsius Officialium, seu cuiuslibet eorum asserta scientia, taciturnitate, tolerantia, vel consensu, ipsorumque præiudicialium obseruantia inferri posse tam in prædictis, quam in cæteris quibuscumque præiudicialibus, nedum

D d 4 ad

indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto Calend. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno secundo. Quæ quidem Constitutio veluti optima & ad conseruandam S. R. E. iurisdictionem & dignitatem planè salutaris approbata, confirmata, & innouata fuit ab iis qui eidem Pio V. successerunt recolendæ memoriæ prædecessoribus nostris Gregorio XIII. Sixto V. Greg. XIV. & Innocentio VIII. qui etiam de fratribus tunc S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu declarauit eadem Constitutione prohibitum fuisse, & prohiberi omnem & quæcumque infeudationem ac alienationem Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum Sedi Apostolicæ tam mediata quàm immediata subiectorum, non solum ne fiat, nè attentetur post eorum deuolutionem, sed etiam antequam Ciuitates, Terræ, Oppida, & Loca prædicta deuoluantur, ac omnem & quæcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem, infeudationem, inuestituram, & concessionem de dictis Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & Locis, finitarum quoque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extensionis huiusmodi, non à die eorum deuolutionis, sed à die ipsius Constitutionis etiam antequam illa deuoluantur ipso iure cum omnibus clausulis & decretis in prædicta Constitutione contentis Cameræ, & Sedi Apostolicæ factam censeret, adiecto etiam decreto, & declaratione, ut promissio & iuramentum præstitum, & præstandum de seruanda ea Pij prædecessoris prædicti Constitutione per ipsum Innocentium & successores suos Romanos Pontifices prædictos, & S. R. E. Cardinales, intelligatur de ipsa Pij V. prædecessoris Constitutione per eum ut supra declarata, & secundum huiusmodi declarationem eandem Constitutionem ad vnguem, & inuolabiliter obseruari oportere, & debere, sicuti etiam se seruaturum esse promisit, ac sanctè & solenni more iurauit, prout in eiusdem Innoc. prædecessoris, sub datum Pridie Non. Nouembris, Pontificatus sui Anno primo, expeditis literis latius continetur. Subindè verò à Clemente VIII. & nouissimè à Paulo V. Romanis Pontificibus, & Prædecessoribus Nostri iuxta eandem Innocentij IX. declarationem confirmata, approbata, & innouata fuit. Quare Nos cum primum ad Apostolicam dignitatis gradum Diuina prouidentia vocati sumus, id ipsum ad exequendum nostri Pastoralis officij debitum præcipuè pertinere existimantes, Pij prædecessoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam iuxta declarationem prædictam per ipsum Innocentium prædecessorem factam, ac desuper confectarum literarum continentiam, & tenorem, quem pariter præsentibus haberi volumus pro expresso, & ad verbum inserto, auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innouamus, easque sumiter, & inuolantè, ac iuxta declarationem prædictam Nos similiter seruaturum esse promittimus & iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuò obseruari præcipimus, nec nostræ vinculum probationis, confirmationis, innouationis, promissionis, iuramenti, præcepti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, Pridie Kal. Octobr. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. Dar,

A. Rondinini.